

## PRAEFATIO.

in ac uocabulorum natiuas significationes ostendere, sæpe & ego meo loco Epistolam Pauli ad Romanos auditoribus proposui, quia notum est eam continere præcipuam partem sapiëntiæ, quæ est Ecclesiæ propria. Hæc Epistola ostendit & illustrat maxime discrimen Legis & Euangelij, id est, promissionum, quæ de omnibus beneficijs filij Dei, de reconciliatione gratuita, et de restitutione iusticię et uitæ æternæ concionantur. Docet recte agnoscere Messiam, quem Pharisei putabant occupaturum esse imperium mundi, uelut Cyrus aut Alexander occupauerat, & partiturũ prouincias. Discernit iusticiam humanam ab ea iusticia

cia